



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117867**

§. 10. S. Altrici Cenomanensis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

§. X.

Sæculum IX.

A. C. 853.

*S. Aldrici Cenomanensis Obitus.*

Cum S. Aldricus Episcopus Cenomanensis, paralyti solutus, datis ad Concilium litteris, excusasset, quod venire non potuisset, seque precibus Episcoporum vivum mortuumve commendasset, id ipsum tota Synodus magna charitate promisit, & Archiepiscopo Turonensi Metropolitæ ejus præcepit, ut Cenomanum iret, & quæcunque utilitas illius Ecclesiæ postularet, faceret. S. Aldricus triennio adhuc dum superstes, postquam hanc Sedem annis viginti quatuor tenuisset, obdormivit in Domino anno 856. septima Jan. qua die ab Ecclesia ejus memoria colitur.

Is ut Presbyteris suis prodesset, Canones ex antiquis Conciliis, ex Decretalibus Pontificum, ex Scriptis Patrum, ex Conciliis, quibus ipse interfuerat, & ex Regum Capitularibus collectos edidit. Anno 840. Ludovico pio adhuc superstite, Synodo Clericorum ex sua Diocesi congregata, præscripsit numerum Missarum & aliarum precum, quas Episcopus pro suis Clericis & Clerici pro suis Episcopis sive vivis sive mortuis offerrent. Imo compositæ novæ Missæ cum præfationibus propriis & Clausulis Canonis addendis. Inter Constitutiones, Nn 5 quas

*Conc. Sueff.**c. 4. Sup.**b. XLVIII.**6. 10 Mabill.**Ann. 3. pag.**285.**Mart. Rom.**7. Jan.**Gest. n. 16.**to. 3. Ba-**lux. Misc. p.**44.**ibid. n. 58.**p. 146.**n. 46. p. III.*

Sæculum IX. A. C. 853. quas edidit, ad Divinum Officium spectantes illa de Luminaribus notatu dignissima mihi visa. Constituit, ut in Cathedrali sua Ecclesia singulis noctibus, dum Matutini celebrantur, quindecim luminaria, decem ex oleo & quinque ex cera, Diebus Dominicis triginta ex oleo & quinque ex cera arderent, quæ auferentur servata proportione usque ad Festa maximæ celebritatis, in quibus saltem centum, nempe nonaginta ex oleo & decem ex cera accendenda erant. Ex hoc exemplo lectoribus conjicere licet, quantus in aliis Ecclesiis lucernarum numerus fuerit, & cur in Actis Fundationis vel Donationis de Ecclesiarum luminaribus frequentissime mentio occurrat.

## §. XI.

*Clades a Normannis illata.*

*Chro. Font. Duch. to. 2. p. 398.* *Chro. Font. to. 3. spicil. p. 251.* Non sine causa Legatos Regios cum mandatis missos legimus, qui de Monasteriis a Normannis exterminatis cognoscerent. Cum voveretur annus octingentesimus quinquagesimus primus, decima tertia Octobris Classis Normannorum fluvium Sequanam ingressa est Duce *Hoseri*, qui ante decennium Rotomagum incendio cremarat, & per trimestre in illa ora commorati prædones Monasterio Fontanellensi ultimam perniciem attulerunt. Monachi cum jam bis antea